

quoquo modo vel quadam machinatione factum, vel attentatum fuerit: officium quidem sublimitatis tuæ centum librarum auri jacturam pro condemnatione sustineat: idem vero, quicumque ausus fuerit contra providam nostræ serenitatis decretum officium advocacionis per subreptionem arripere, et prohibuit patrociniū præstiterit, ab advocacionis officio remotus, stylum proscritionis atque perpetui exilii specialiter sustinebit: scituris etiam provinciarum rectoribus, quod is, sub cuius administratione aliquid hujusmodi fuerit attentatum, partis bonorum dimidiæ proscritionem, et pœnam exilii per quinquennium sustinebit. — Dat. prid. kal. april. *Constantinop.* ANTHEMIO A. 2 COS. 468.

## TIT. VII.

## DE ADVOCATIS DIVERSORUM JUDICIORUM.

## 1. Imp. ANTONINUS A. Doloni.

Si patronum causæ prævaricatum<sup>1</sup> putas, et impleveris accusationem, non deerit adversus eum pro temeritate commissi sententia<sup>2</sup>: atque ita de principali causa denuo quæretur. Quod si non docueris prævaricatum: et calumnia notaberis<sup>3</sup>, et rebus judicatis, a quibus non est provocatum, stabitur. — P. P. 3 kal. octobr. ANTONINO A. 4 et ALBINO COSS. 214.

2. Imp. VALENS, GRATIANUS et VALENTIN. AAA. ad ANTONIUM P. P. Qui necessario patriæ suæ debent municipio functiones, eos decurionibus aggregatos nolimus<sup>4</sup> evagari: permittentes, ut in negotiis causidicorum fungantur officiis, et in civitatibus propriis subeant munera curialium; ita tamen, ut non contra<sup>5</sup> rempub. civitatis, in qua honorem hunc consecuti sunt, eis adesse permittatur. — Dat. 15 kal. septemb. *Ravennæ*, VALENTE 6 et VALENTINIANO 5 AA. COSS. 378.

## 3. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. ad Africanum P. P.

Ne quis ex corpore togatorum [minime curialibus nexibus illigatus] provinciales suscipiat functiones: scilicet ut ambientibus claudatur ingressus, et invitis necessitas<sup>6</sup> auferatur. — Dat. 3 non. August. *Constantinop.* ARCADIO 4 et HONORIO 3 AA. COSS. 396.

## 4. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Eustathio P. P.

Fori tui culminis, et universorum judiciorum advocati quicquid ex hujusmodi professione, vel ipsius occasione quæsierint, id [etiam] post patris obitum præcipuum, veluti<sup>7</sup> peculium castrensium, ad exemplum militum, proprio dominio valeant vindicare. — Dat. 10 kalend. april. *Constantinop.* DD. NN. HONORIO 15 et THEODOSIO 10 AA. COSS. 44.

## 5. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Cyro pref. urbi.

Quicquid animi largitate, et munificentiâ principali præstitimus togatis per Orientem eminentissimæ præfecturæ reverentia studiorum: id sibi presenti sanctione præstitum esse cognoscant patroni causarum illustri urbariæ præfecturæ. — Dat. 7 kal. Jan. *Constant.* THEODOS. 12 et VALENTINIANO 2 AA. COSS. 426.

6. *Idem*, AA. ad Florentium P. P.

Sancimus, ut advocatis, qui apud tuam magnificentiam causas acturi sunt, a nullo iudice, nec ab ipsa eminentissima præfectura sollicitudo ulla penitus injungatur: sed nec advocatis provinciarum vel spectabilium iudicum quisquam existimet aliquid injungendum. Nulla igitur togatis inspectio, nulla peræquatio ingeratur, nulla operis constructio, nulla discussio<sup>8</sup>, nullum ratiocinium imponatur, nullum denique aliud eis mandetur, præter<sup>9</sup> arbitrium in eodem dumtaxat loco, ubi advocacionis exercitum officium: quinquaginta librarum auri [pœna] officio feriendo, si legis istius regulas temerare tentaverit. — Dat. 8 kal. Mart. *Constantinop.* THEOD. A. 17 et FESTO COSS. 439.

7. *Idem*, AA. Thassalio P. P. per Illyricum.

Iisdem privilegiis, iisdemque immunitatibus potiri togam illustrissimæ per Illyricum præfecturæ, quibus fruatur toga per Orientem prætorianæ sedis excelsæ decernimus. — Dat. 6 id. sept. *Constant.* THEOD. A. 17 et FESTO COSS. 439.

8. *Idem*, AA. Cyro P. P. consuli designato.

Cum advocatio prætoriana centum quinquaginta numero<sup>10</sup> togatis minime vel minuendo, vel augendo concludatur, jubemus eos, qui ex his ad

TIT. VII. — 1. L. 11, infr. de accus. l. 3, § 15, D. de hom. libero: l. 3, D. ad SC. Turpil. — 2. L. 4, § 4, vers. prævaricator, D. de his qui not. infam.: l. 1, in fin. l. 2, D. de prævar. — 3. L. 4, § 4, D. de his qui not. infam. — 4. L. 25, l. 26, infr. de decur. — 5. *Immo vide* l. 10, l. 11, D. de postul. — 6. L. 15, in fin. infr. h. t. — 7. L. 7, supr. de assess.: l. 8, infr. h. t. adde l. 34, supr. de episcop. — 8. *Immo vide* l. 3, infr. de discuss. — 9. L. ult. § 14, D. de munerib.: l. 15, § 2, D. de vac. et eccl. mun. vide tamen l. 3, § 1, D. de recept.

fisci<sup>11</sup> patronatum pervenerint, a cohortis<sup>12</sup> vel alterius vilioris conditionis nexibus cum liberis<sup>13</sup> quandoque genitis liberos custodiri: postquam tale officium depositum, annumque<sup>14</sup> completum, advocatorum consortio abscedere cum comitiva consistoriana: omneque, quod togatis fori celsitudinis tuæ quolibet casu, quolibet adquiritur titulo, quasi<sup>15</sup> castrensium sibimet vindicare: nec patribus, nec avibus paternis earum rerum commodum acquirere, legis istius auctoritate decernimus. His omnibus etiam ad urbariæ præfecturæ advocacionem trahendis. — Dat. 3 kal. Jan. VALENTINIANO A. 5 et ANATOLIO COSS. 440.

9. *Idem*, AA. Apollonio P. P.

Si quis de togatis fori celsitudinis tuæ, vel Illyricanæ, seu urbariæ præfecturæ, sive de his, qui in provincialibus iudiciis causarum patrociniū profitentur, electione tuæ sedis regendæ provinciæ munus potestatemque susceperit: post peractam integre ac sine ulla opinionis labe administrationem, et ad illud officium, unde abstractus est, et unde sibi vitæ subsidia comparabat, remeandi habet facultatem<sup>16</sup>: nec causas orare denuo quadam prohibeatur invidia. — Dat. 12 kal. sept. *Constant.* EUDOXIO et DIOSCORO COSS. 442.

## 10. Imp. VALENTIN. et MARTIANUS AA. Palladio P. P.

Binos, qui priores in tui culminis sede inveniuntur ad patronatum fisci singulis quibuscumque annis accedere, paribus dignitatis et privilegiorum insignibus ambiendos [esse] præcipimus, quibus ante hac utebatur is, qui solus fisci creabatur patronus. — Dat. 14 kal. Jul. *Constant.* HERCULANO et ASPORATIO COSS. 452.

## 11. Imp. LEO A. Viviano P. P.

Nemini licere sancimus aliquem sub assidendi colore statutis centum quinquaginta advocatis, quos sibi eminentissima præfectura in consilium assumpserit aggregare<sup>17</sup>. — § 1. Non aliter vero consortio advocatorum tuæ sedis aliquis societur, nisi prius in examine viri clarissimi rectoris provinciæ, ex qua oriundus est, presentibus cohortalibus gesta conficiant, quibus aperte pateat cohortali vitæ ac fortunæ eundem minime subjacere<sup>18</sup>. [Atque hæc fieri volumus] si præsens vir clarissimus rector provinciæ fuerit in ejus examine: si vero abfuerit, apud defensorem sui oppidi gesta conficiant. Jurisperitos etiam eorum doctores jubemus juratos sub gestorum testificatione depromere. *esse eum, qui posthac subrogari voluerit, peritia juris instructum.* Filios<sup>19</sup> autem togatorum excellentiæ tuæ, qui vel nunc causas agunt, vel futuris temporibus activerint, ceteris supernumerariis anteferri. — § 2. Illud insuper decernimus, ut etiam his qui ultra centum quinquaginta advocatos eminentissimæ tuæ sedis reperiuntur, liceat et apud virum spectabilem proconsulem, vel præfectum Augustalem, vel comitem Orientis, apud viros etiam spectabiles vicarios, et apud rectores provinciarum negotia perorare. — Dat. kal. feb. *Constant.* MAGNO et APOLLONIO COSS. 460.

12. *Idem*, A. Eusebio P. P. Illyrici.

Sancimus patronum fisci iudicio celsitudinis tuæ, non jam quotannis<sup>20</sup>, sed biennio pro veteri consuetudine finem officii sui sortiri: salvis eidem consortio privilegiis omnibus quæ a retro principibus meruit, manentibus. — Dat. 10 kal. Mart. *Constant.* BASILIO et VIVIANO COSS. 465.

## 13. Imp. LEO et ANTHEMIO AA. Alexandro duci Ægyptiaci limitis, et præfecto Augustali.

Petitionem virorum disertissimorum advocatorum Alexandrinæ splendidissimæ civitatis, quam de fori sui matricula<sup>21</sup>, et fisci patrono obtulerunt, merito admittentes, hac sanctione decernimus, quinquaginta status haberi: eorumque nomina pro tempore matriculæ conficiendæ inscribi: et eos advocacionis officium in iudicio tam viri spectabilis præfecti Augustalis, quam viri spectabilis ducis Ægyptiaci limitis petentibus adhibere: ceteros vero ultra memoratum numerum constitutos, apud alios iudices ejusdem Alexandrinæ civitatis perorare: filiis<sup>22</sup> scilicet statutorum in loco deficientium supernumerariis anteponeendis. Egrementem autem post biennium fisci patronum, contemplatione laborum, exconsularis moderatoris provinciæ dignitate decorari: licentia facultateque ei non deneganda, cum usus exegerit, tam pro se, quam<sup>23</sup> pro filiis, parentibus, et uxoriibus, necnon etiam personis ex transverso latere usque ad quartum gradum constitutis patrociniū suum adhibere. Quando autem fisci patronum mori contigerit, gradu eum sequentem sine ulla dilatione in locum ejus subrogari: heredibus defuncti nihil<sup>24</sup> exinde sibi commodi

qui arbit. — 10. *Sic* l. 11, in fin.: l. 15, l. 15, l. 17, infr. h. t. — 11. L. 10, infr. eod. — 12. L. 17, infr. eod.: l. 3, infr. tit. prox. — 13. L. 66, infr. de decur. — 14. *Abrog.* l. 12, infr. h. t. — 15. L. 4, supr. h. t. junctio l. 34, supr. de episcop. aud. — 16. L. 13, supr. de assess. — 17. L. 8, supr. h. t. — 18. L. 17, infr. eod. — 19. L. 15, infr. eod.: l. 3, § 5, infr. tit. prox. — 20. L. 8, supr. h. t. — 21. L. ult. supr. de assess. — 22. L. 11, § 1, supr. h. t. — 23. L. 10, l. 11, D. de postul.: l. 3, § 1, infr. tit. prox. — 24. *Immo vide* l. 15, in fin. infr. h. t.

acquiri posse speraturis: cunctis privilegiis, quæ hactenus habuisse noscuntur, necnon his, quæ suggestio tuæ magnitudinis continet, etiam in posterum intactis inviolatisque servandis: quatenus hujusmodi delato eis liberalitate nostræ serenitatis honore possint in otio, et tranquillitate reliquum vitæ suæ tempus peragere, nulla eis invitis ingerenda sollicitudine.

14. *Idem*, AA. Callierati P. P. Illyrici.

Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam partesque salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, et thoracibus nituntur, sed etiam advocatos: militanti namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, et posteros defendunt. — Dat. 5 kal. april. *Constant.* ZENONE et MARTIANO COSS. 469.

## 15. Imp. LEO A. Dioscoro P. P.

Post duos fisci patronos<sup>25</sup>, qui ex anterioribus constitutionibus iisdem beneficiis manuntur, sexaginta<sup>26</sup> quatuor togatos, qui in presenti sunt, a primo usque ad sexagesimum quartum imperialibus beneficiis perfrui censemus, quibus fisci patroni liberique eorum honorati sunt. — § 1. His quoque illud adjiciendum esse statuimus: ut, si quis patroni fisci adeptus gradum, fatalem diem obierit, universa totius anni solatia, ex quo hoc idem officium peragere coeperit, ad heredes<sup>27</sup> seu successores suos, sive liberi, sive extranei fuerint, transmittendi tam ex testamento, quam ab intestato liberam habeat facultatem. — Dat. 17 kal. Jan. *Constantinop.* FESTO et MARTIANO COSS. 472.

## 16. Imp. LEO junior et ZENO AA. Justiniano præf. urbi.

Ad similitudinem sexaginta quatuor<sup>28</sup> advocatorum fori amplissimæ prætorianæ præfecturæ, quindecim tantum ex foro tuæ magnitudinis; qui in presenti gradus primos obtinent, post fisci videlicet patronum, eisdem privilegiis nostræ mansuetudinis beneficio perfruatur, quibus fisci patroni liberique eorum muniuntur. — Dat. 17 kal. april. *Constant.* LEONE juniore A. COSS. 474.

## 17. Imp. ZENO A. Paulo P. P. per Illyricum.

Jubemus advocacionem fori tui culminis centum quinquaginta<sup>29</sup> (sicut antea constitutum fuerat) advocatis concludi: eundemque numerum, quoties vel professionis fine, vel morte, vel quocumque fuerit casu imminutus, electione magnificæ tuæ sedis impleri: ita ut in presenti quidem, et hinc usque ad biennium ad impletionem supra definiti numeri subrogandi, sine ulla cohortalis aut cujuslibet deterioris conditionis questione succedant: salva videlicet adversus eos apparitoribus, si qua competit, actione, quam certum est, postquam fisci patronatum officio impleto exegerint, evanescere: post lapsum vero biennium, foro tuæ magnificæ potestatis inseri postulantes, non aliter<sup>30</sup>, nisi sub gestorum confectioe minime eos cohortalis conditioni subjacere patefactum fuerit, admittantur. — § 1. Cuncta sane privilegia, quæ magnificæ per Orientem præfecturæ advocatis ex divinis retro principum, seu inelytæ recordationis Leonis, vel nostris sanctionibus indulta sunt, tuæ<sup>31</sup> quoque gloriosissimæ sedis caudicibus absque ulla discretione competere, per hanc in eternum valituram legem sancimus. — Dat. 6 kal. Jan. *Constantinop.* DECIO et LONGINO COSS. 480.

## 18.

Nullus multæ dictionem habeat in eos advocatos, qui intra fori prætoriani statutum<sup>32</sup> numerum sunt, præter ipsum præf. præf.

## 19.

Ne ideo lis protrahatur, quod in ea non reperiantur advocati tres, cum duo sufficient.

## TIT. VIII.

## DE ADVOCATIS DIVERSORUM JUDICUM.

## 1. Imp. ANASTASIUS A. Eusebio magistro officiorum.

Suggestionem viri illustris comitis rerum privatarum, et proconsulis Asiæ duximus attendendam: per quam nostræ serenitatis auribus intimavit, fori sui advocatos communi petitione magnopere postulasse, ut,

25. L. 10, supr. eod. — 26. L. 16, infr. eod. — 27. *Confer.* l. 4, D. de off. assess.: l. 19, § ult. D. licentiæ l. 15, vers. hereditibus, supr. h. t. adde l. 8, D. de annuis leg.: l. ult. infr. de domest. et protect. junctio l. 1, § 13, D. de extraord. cogn. — 28. L. 15, supr. h. t. — 29. L. 11, supr. eod. — 30. L. 11, § 1, supr. eod. — 31. L. 7, supr. eod. — 32. L. 8, pr. l. 11, pr. supr. eod.

TIT. VIII. — 1. L. 8, l. 17, supr. tit. prox. — 2. d. l. 17, in fin. — 3. d. l. 8, in fin. —

postquam advocacionis deposuerint officium, dignitate quadam, nostra liberalitate, potiantur. Jubemus itaque post depositum (ut dictum est) præfatam officium, unumquemque eorum, qui in presenti sunt, vel postea matriculis eorum pro tempore fuerint inserti, clarissimi primi ordinis comitis perfrui dignitate: quatenus et tempore quietis fructum prætoriorum laborum consequantur: proque fide atque industria erga clientes suos comprobata [a] privatæ conditionis hominum multitudine segregati, clarissimis merito connumerentur. — Dat. 2 kal. Jan. *Constant.* ANASTASIO A. 2 COS. 497.

2. *Idem*, A. Thomæ P. P. per Illyricum.

Advocatos [amplissimæ] tuæ sedis, qui pro tempore ad fisci patroni gradum et officium provehuntur, una cum liberis jam natis, vel postea procreandis ab omni cohortalis<sup>1</sup>, seu cujuslibet deterioris conditionis vinculo immunes ac liberos cum patrimonio suo conservari decernimus: [cum] constet hoc jam pridem tam advocatis amplissimæ prætorianæ per Orientem<sup>2</sup>, quam magnificæ urbariæ<sup>3</sup> [præfecturæ] sacris constitutionibus esse indultum: et non dubium sit, non tantum eas, sed etiam sublimissimæ tuæ sedis germanas esse potestates. — Dat. 12 kal. dec. PATRICIO et HYPATIO COSS. 504.

3. *Idem*, A. Constantino P. P.

Jubemus pro tempore primatem advocatorum fori viri illustris comitis Orientis per<sup>4</sup> biennium fisci patroni fungi officio, et solatia sibi communi consensu deputata per idem biennium consequi: hoc quoque transacto, professionem advocacionis deponere: consortio videlicet eorumdem advocatorum ad quadraginta tantum viros redigendo: ita ut, si qui superflui sunt, jam eidem consortio sociati, de advocacionis officio minime rejiciantur: nemine alio eis adjiciendo: ne quadraginta virorum numerum advocatorum consortium excedere<sup>5</sup> contingat. — § 1. Ad hæc eos, qui (prout statutum est) fisci patroni deposuerint officium, postea quoque non prohiberi singulos tam<sup>6</sup> pro se, quam pro jugali sua, et socero, et socru, nec non genero et nura, liberisque propriis, colonis, et servis ad se pertinentibus advocacionis fungi officio. — § 2. Nec ædicularum eorum *metatorum* onere molestari, si tamen in una tantummodo suaque domo singuli talem prærogativam sibi vindicare maluerint. — § 3. Pro *sporulis* præterea modum, quem notitia<sup>7</sup> nobis porrecta declarat, tam pro his, quam pro colonis et eorum servis custodiri: neminique præberi licentiam eundem modum circa sportularum exactiorem contra eos excedendi. — § 4. Nec de cætero quemquam, antequam per statuta tempora<sup>8</sup> legum eruditioni noscatur inhæsisse, supradicto consortio sociari. — § 5. Et filios advocatorum, vel adhuc in tali constitutorum officio, vel eorum, qui fisci patronum deposuerint, superstium vel mortuorum, extraneis ad idem officium accedentibus anteponi: eique gratis, et sine sumptibus sociari, et si ipsi (prout dispositum est) solito tempore legum doctrinam meruerint. — § 6. Ut autem his, qui fisci patroni officium adepti sunt, vel fuerint, non tantum superstitiis, sed etiam morte præventis prospiciatur: tam ad heredes fisci patroni, qui semel ad talem gradum vocatus sit, solatia<sup>9</sup> ejus transire, hisque servari: quam ipsos, qui fisci patronatum jam deposuerint, vel postea deposuerint, minime cujuslibet actus publici sollicitudinem nolentes subire compelli, nex exhibitionis seu deductionis onere (nisi specialia auctoritate nostra) molestari: et in provincia incusandos pro sententiam viri spectabilis comitis Orientis, utpote competentis iudicis, conveniri atque litigare decernimus. — Dat. kal. Jul. *Constant.* SABINIANO et THEODORO COSS. 505.

4. *Idem*, A. Eustachio P. P.

Laudabile vitæque hominum necessarium advocacionis officium, maxime principalibus præmiis oportet remunerari. — § 1. Ideoque jubemus, viros clarissimos fisci pro tempore patronos fori celsitudinis, solenni die festivitatis kalendarum Januariarum ipsius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium, inter spectabiles sacri nostri consistorii comites divina nostræ serenitatis manu puncti consequi solatia. — § 2. Et postquam tale deposuerint officium, si quidem filios ingenuos habeant, eos clarissimorum notariorum inseri consortio, tribunorum sacras solitas<sup>10</sup> epistolas sine quodam suffragii solutione percepturas. — § 3. Et si quis per sententiam sublimitatis tuæ monitus, super agnito debito vel agnita causa, quæ ingeritur ei, confessionem exponere paratus sit; eam non arbitro delegato, sed tunc temporis fisci patronis, vel alterutri eorum, si alter adesse non possit, pro more tamen solito sub actorum testificatione intimari. — § 4. Quotiesque de nuptiis [quis] sine dotalibus<sup>11</sup> instrumentis mutuo con-

4. L. 12, supr. tit. prox. *confer.* l. 5, infr. h. t. — 5. *Sic* l. 4, supr. de sacros. eccl. adde l. 8, pr. supr. tit. prox. — 6. L. 15, vers. licentia, supr. tit. prox. — 7. L. 1, § 8, supr. de off. præf. præf. Africae. — 8. *Constat* ad Antec. § 2, in fin. — 9. L. 15, in fin. supr. tit. prox. — 10. L. 6, § 1, infr. h. t. — 11. *Immo vide* § ult. Inst. de nupt. l. 10, infr. de natur. lib.: N. 12, c. ult.: N. 15, c. ult.

trahendi matrimonium animo celebratis, super affectu suo liberis ex huiusmodi conjugio jam extantibus vel necdum procreatis, legitimis allegationibus uti maluerit, eas apud eosdem pro tempore fisci patronos, vel alterutrum eorum (ut dictum est) gestis intervenientibus commendari, ita videlicet, ut juri cognitae allegationes absentibus personis, si quae competant, serventur intactae. — § 5. His insuper, quicumque apud viros gloriosos pro tempore consules<sup>12</sup> mancipia sua libertate donare voluerint: antelatos fisci patronos ad easdem libertates peragendas propriam advocacionis vocem accommodare. — § 6. Aliis nihilominus privilegiis, quae jam pridem memoratis vel fisci patronis, vel adhuc advocacionis pro tempore peragentibus officium togatis, diversis modis indulta sunt, ex hac etiam sanctione nostra in sua stabilitate duraturis. — Dat. 12 kal. dec. Constant. ARIOVINO et MESSALA CONSS. 506.

5. *Idem*, A. Sergio P. P.

Petitiones virorum disertissimorum fori praesidialis secundae Syriae provinciae advocatorum cum competenti moderatione censimus admittendas: et jubemus<sup>13</sup>, pro tempore primatem eorum per biennium fisci patroni fungi officio, et solatia sibi communi consensu deputata per idem biennium consequi: hocque transacto professionem advocacionis deponere, consortio videlicet eorumdem advocatorum ad triginta tantummodo viros redigendo: ita ut si qui superflui sunt, jam eidem consortio sociati, de advocacionis officio minime rejiciantur: nemine alio eis adjiciendo, ne triginta virorum numerum advocatorum excedere consortium contingat. — § 1. Ad haec [eos], qui (prout statutum est) fisci patroni deposuerint officium, postea quoque non prohiberi singulos tam pro se, quam pro jugali sua, et socero et socru, necnon genero et nuru, liberisque propriis, colonis et servis ad se pertinentibus advocacionis fungi officio. — § 2. Nec aedicularum eorum, metatorum onere molestari: si tamen in una tantummodo suaque domo singuli talem praerogativam sibi vindicare maluerint. — § 3. Pro sportulis praeterea modum, quem notitia nobis porrecta declarat, tam pro his, quam pro colonis, et eorum servis custodiri: neminique praebere licentiam eundem modum circa sportularum exactiorem contra eos excedendi. — § 4. Nec de caetero quemquam, antequam per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhassisse, supradicto consortio sociari. — § 5. Et filios advocatorum, vel adhuc in tali constitutorum officio, vel eorum, qui fisci patronatum deposuerint, superstitem vel mortuorum, extraneis ad idem officium accedentibus anteponi: eique gratis, et sine sumptibus sociari, si et ipsi (prout dispositum est) solito tempore legum doctrinam meruerint. — § 6. Ut autem his, qui fisci patroni officium adepti sunt, vel fuerint, non tantum superstibus, sed etiam morte praeventis prospiciatur: tam ad heredes fisci patroni, qui semel ad talem gradum vocatus sit, solatia ejus transire, hisque servari: quam ipsos, qui fisci patronatum jam deposuerunt, vel postea deposuerint, minime cujuslibet actus publici sollicitudinem nolentes subire compelli, nec exhibitionis sui deductionis onere (nisi speciali auctoritate nostra) molestari: et in provincia incusandos per sententiam viri clarissimi provinciam, in qua degunt, moderantis, utpote competentis iudicis, conveniri atque litigare decernimus. — Dat. kalend. decemb. ANATOLIO et AGAPITO CONSS. 508.

6. *Imp.* JUSTIN. A. Marino P. P.

Restituenda sunt clarissimis eloquentiae luminibus sexaginta auri librae, quas sub imperio Zenonis divae memoriae pedaneis deputatas arbitris, nec non fidejussorum<sup>14</sup> vires aestimantibus, tamen auferendas crediti praeparca posterioris subtilitas principis, ut jam liberalitate nostri numinis, viri clarissimi fisci patroni praefatam auri summam sine fraude annis singulis consequantur, ab amplissima tua sede pari lance in utrumque dividendam. Nam universis redditur, quod pro voto omnium primatibus indulgetur. — § 1. Sacras insuper epistolas<sup>15</sup>, quibus approbantur viri clarissimi tribuni praetoriani et notarii, non unius tantum nomine, sed alterius quoque utrius praestandas perspicimus, sive suos filios, sive alios quosdam duxerint illustrandos. — § 2. Ad haec altiore beneficio codicillos, quibus illustris honoratur dignitas, consequantur: quos unius solum nomine eidem viris facundissimis datos nos pollicemur, profuturos scilicet alteri<sup>16</sup> eorum altero concedente: seu qui ex provinciis suis, vel ex amicis voluerint, in provinciis tamen degentibus. — § 3. Licentiam eis praeterea facimus binos homines singulis annis itidem offerendi, nostram adoratos purpuram, statutis inserendos presentialibus domesticis, unum equitum, alterum scholae pedum, in vacante eorum loco, qui dicem functi sunt: nullo, dum supererunt, de militia<sup>17</sup> venundanda pacio cum eis interposito, quorum ejusmodi conventiones versantur: ita tamen, ut

12. L. ult. infr. de manum. vind. — 13. L. 5. supr. h. t. — 14. L. 9. l. 10. pr. D. qui satisf. cog. — L. 7. § 5. D. de minor. — L. ult. D. a quib. appell. — 15. L. 4. supr. h. t. — 16. Sic L. 1. supr. de divers. rescript. — 17. L. ult. infr. de pignori. — L. 5. infr. qui milit. poss. —

eadem viri facundissimi, cum offerendos eosdem crederint homines, bina solidorum pro singulis millia, nihilque amplius, noverint dependenda viris magnificis comitibus dicatissimorum domesticorum: id est, equitum quidem pro eo, qui inter equites meritis est: pedum autem, pro eo, qui inter pedites inserendus est: solitis videlicet statim stipendiis, nec non etiam caeteris solatiis iisdem tyronibus deputandis sine quolibet alio dispendio. — § 4. Aliis etiam privilegiis potantur, quae diversis temporibus consecuti sunt, sive per Augustos apices, sive per dispositiones et sententias amplissimae tuae sedis: nam qui bonis digni iudicati sunt, hi multo magis in anterioribus quoque sunt adjuvandi. — Dat. kal. decemb. Constant. ipso A. et EUTHERICO CONSS. 651.

7. *Idem*, A. Theodoro P. P.

Per hanc legem decernimus, ne antequam in octoginta tantum virorum numerum, fori tui culminis togatorum collegium deductum fuerit, aspirare quis qualibet arte concedatur, aut possit: nisi vel eorum filii, qui triginta priorum obtinent numerum, facundiae studii eruditi, gratis<sup>18</sup> videlicet, et sine ullo suffragio, aut fortasse exteri non ultra per duos annos singulos facundia et ipsi conspicui, taxati fuerint: nullo deinceps, postquam in octoginta virorum numerum redacti fuerint, superare qualibet rursus ambitione vel astutia quantitatem auro. — § 1. Interdicenda quoque cunctis licentia praeventendi progressus seriem<sup>19</sup>, quam ipsius temporis ordo suppeditat: et, ut in mercatorum contractibus, loca permutandi: et adhuc tyrones jam interesse veteribus. — § 2. Hoc etiam pronuntiandum censemus, ne quis ex his in aliis degat regionibus, relicta observatione gloriificae tuae sedis. Noverint etenim, qui, post nomen impetratum patroni litium, ultra trium annorum spatium ex sacratissima hac urbe morandum duxerint, nec nuncupationem togati, nec privilegia virorum huiusmodi concedenda sibi: ut ne repetitis ex industria praedictae sedis auctoritatibus protrahantur, aut multiplicentur peregrinationis excursus. — § 3. Quorum omnium si quid vel minimum quoquoque tempore fuerit violatum: viginti primates ejusdem ordinis, et qui pro tempore sollicitudinem ab actis in amplitudinis tuae gerent officio, adjuutores etiam eorum denis singulis libris auri feriantur, quod adversus imperialia consulta serenitatis nostrae tendentibus non statim obijerint intercessionem legis praesentis, aut non restiterint, et omnino non prohibuerint, ne quid tentaretur contrarium, cum nec in administratores sublimissimae tuae sedis, si non intente custodierint disposita salutaria, et, ut non temerentur, prospexerint, poena deeri decem auri librarum. — § 4. Sexcenti autem aurei, quibus pro tempore fisci patronis fori tuae celsitudinis, ad exemplum priorum temporum ex area tui iudicii consulatur: ne post decursum celerem advocacionis, et labores gloriosos egeni exeat: non (ut saepe contigit) incerto die praesentur, sed cum [ad] medium iter pervenerint patrociniis rerum fiscalium: id est, kalendis octobribus per annos singulos sine cunctatione solventur. — § 5. Quidquid insuper privilegiorum retro principum sacris affatibus vel auctoritate tribunalis, cujus interest, huic eidem ordini datum ostenditur, inviolatum servari. — § 6. Cumque lite quisquam eorum pulsatus fuerit, seu civilis causa certamine, aut criminalis quaestionis obtentu, hic, vel in provinciis: cum per concessum tempus eorum adesse quemquam eventit, nullas executores sportulas adsequi: nec qui controversiis movendis inseruiant, aut excipiendo, seu praeparando, vel officio quolibet alio, quocumque nomine sumptum exigendum censemus. — Dat. id. februar. Constantinop. JUSTINO A. 2 et OPILIONE CONSS. 524.

8. *Idem*, A. Archelao P. P.

Nemo, excepta Menandri fisci patroni persona, speret<sup>20</sup> de caetero permutationum saltibus superiore gradu captio fructuum se beneficiis, quae patronis aeraii, seu dum officium exhibent causis fiscalibus, aut post impletum agmen impertita monstrantur. — Dat. 12 kalend. septemb. JUSTINO A. 2 et OPILIONE CONSS. 524.

9. *Imp.* JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

De constitutione divinae recordationis<sup>21</sup> Justiniani patris nostri super togatis amplissimae tuae sedis prolata, Illyricani advocati postulaverunt a nobis, [eis] clarum fieri, si locum etiam circa eos possit habere, sive cum comite, sive sine comite iudicio ejusdem sublimitatis [tuae] abfuerint. Sancimus itaque, [talem] legem generaliter etiam in persona eorum valere, ut si quis sine comite ultra continuum biennium abfuerit, vel cum comite ultra quinquennium, de matricula penitus aboleatur: nulla licentia ei danda gradum suum vindicare, nec iterum

18. L. 5. § 5. l. 5. § 5. supr. h. t. — 19. L. 8. infr. eod. — 20. L. 7. § 1. supr. eod. — L. 11. D. de muer. — 21. L. 7. supr. h. t.

viris disertissimis togatis ejusdem sedis adsistere. Perfruantur igitur advocati ejusdem sublimitatis hac nostra generali sanctione.

## TIT. IX.

### DE ADVOCATIS FISCO.

1. *Imp.* ANTONINUS A. Claudio.

Cum te fisci causam agitas proponas, quamvis te salarium percepisse neges, tamen placitis acquiesce. Eos enim, qui causam fisci egissent, prohibuit est adversus<sup>1</sup> fiscum patrociniis praestare. — P. P. 15 kal. Januar. ANTONINO A. 4 et BALBINO CONSS. 214.

2. *Imp.* VALELIANUS et GALLEN. AA. Frequentio.

Potes auctoribus nobis adversus<sup>2</sup> fiscum quoque patrociniis exhibere privatis: dum eam scilicet causam, quam tu, cum fisci advocatus fueras, forte tractasti, suscipere declines. — P. P. 6 kal. Mart. VALERIAN. et GALLENO AA. CONSS. 235.

3. *Imp.* CONSTANTIN. A. Aeliano proconsuli Africae, post alia.

Fisci advocatus poenas metuens, caveat, ne fiscalia commoda occultet, neve ullo negotio existente, fisci nomine privatis audeat calumnias<sup>3</sup> commovere. — Dat. 6 id. novemb. *Triumvir*. CONSTANT. A. 4 et LICINIO CAESAR. 4 CONSS. 515.

4. *Imp.* GRATIAN., VALENT. et THEOD. AAA. ad Ammianum comitem rerum privatarum.

Rationales<sup>4</sup>, privatae rei causis, vel sacris aeriis praesidentes, examen praesentis<sup>5</sup> fisci advocato suscipiant. — P. P. 17 kal. Januar. MEROBAUDE 2 et SATURNINO CONSS. 385.

## TIT. X.

### DE ERRORE ADVOCATORUM, VEL LIBELLOS SEU PRECES CONCIPIENTUM.

1. *Imp.* ALEXAND. A. Aureliae.

Ea, quae advocati praesentibus<sup>1</sup> his, quorum causae aguntur, allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis litium proferantur. — P. P. kal. Mart. ALBINO et MAXIMO CONSS. 228.

2. *Imp.* GORDIANUS A. Rogato militi.

Errores eorum, qui desideria, id est, preces scribant, veritati praedictum<sup>2</sup> afferre non posse, manifestum est. Et ideo si condemnationem, cujus mentionem libello insertam esse proponis, manifeste probare potes non interessisse: allegationes tuas laedi non oportere, is qui super negotio disceptaturus est, non ignorabit. — P. P. 10 kalend. Jul. PIO et PONTIANO CONSS. 259.

3. *Imp.* DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. Ulpiae.

Sententia finita negotia, rescriptis revocari non<sup>3</sup> oportet. Nec enim quae constituta sunt, [id est], ut *advocatorum error litigatoribus non noceat*, tibi etiam opitulari possunt: cum te praesente<sup>4</sup>, neque causam palam ex continentis, id est, triduo<sup>5</sup> proximo contradixisse, neque post sententiam appellationis remedio (si tibi haec displicebant) usam esse proponas. — Dat. 6 kal. septembr. *Viminacii*, CC. CONSS. 294.

## TIT. XI.

### UT QUAE DESUNT ADVOCATIS PARTIUM, JUDEX SUPPLEAT.

1. *Imp.* DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. et CC. ad Honoratum.

Non dubitandum est, iudicem, si quid a litigatoribus, vel ab his, qui negotiis adsistunt, minus fuerit dictum, id supplere<sup>1</sup>, et proferre quod

TIT. IX. — 1. *Excepit* L. 2. infr. h. t. — L. 10. L. ult. D. de postul. *adde* L. 4. supr. de advoc. div. iudicior. — 2. L. 1. supr. h. t. — 3. L. 7. vers. ne liceat, infr. de delator. — 4. L. 2. supr. de modo mult. — L. ult. in fin. infr. de leg. Jul. majest. — 5. L. 2. infr. si advers. fisc. — L. 7. D. de jur. fisci. *cellata* L. 4. supr. de postul.

TIT. X. — 1. L. 3. infr. h. t. — 2. L. 94. D. de reg. jur. — L. 5. L. 9. supr. de juris et facti ignor. — L. 7. pr. supr. de div. rescript. *adde* L. 6. § 1. D. de off. pres. — 3. Supr. ut lite pend. et infr. sentent. rescind. — 4. L. 1. supr. h. t. — 5. L. ult. infr. de iudic.

TIT. XI. — 1. L. ult. pr. infr. de appell. — L. 6. § 1. D. de off. pres. *adde* L. ult. D. de hered. pet.

## TIT. XII.

### EX QUIBUS CAUSIS INFAMIA<sup>1</sup> IRROGATUR.

1. *Imp.* SEVERUS et ANTONINUS AA. Manilio.

Infamiae detrimentum minime tibi affertur ob id solum, quod in carcerem coniectus es, vel vincula tibi jussu legitimi iudicis injecta sunt. — P. P. sine die et consule.

2. *Idem*, AA. Venetio.

Neque furti, neque vi honorum raptorum, neque peculatus damnatus intelligi potest, qui, cum plus debito nomine debitorum exegisset, in duplum a praeside condemnatus est. — P. P. 8 id. Januar. LATRANO et RUFINO CONSS. 198.

3. *Idem*, AA. ad Metrodorum.

Et si severior<sup>2</sup> sententia diei debuit, tamen cum proconsul vir clarissimus certis rationibus motus<sup>3</sup> mitiorem sententiam dixerit, et *ordine decurionum te biennio abstinere* jusserit, transacto<sup>4</sup> tempore non esse te in numero infamium, palam est: eo quod post biennium remisisse tibi prohibitionem decurionatus iudex videtur. — P. P. 10 kal. Januar. LATRANO et RUFINO CONSS. 198.

4. *Idem*, AA. Venustiano.

Si Posidonium in tempus anni relegatum, sententiam non excessisse proconsulis probaveris, quinque annis exilio temporali damnandum inter infames<sup>5</sup> haberi non oportet: quoniam sententiae severitas cum caeteris damnis transigere videtur. — P. P. 6 kal. Mart. SATURNINO et GALLO CONSS. 199.

5. *Idem*, AA. Ambrosio.

Decuriones quidem, item filios decurionum fustibus<sup>6</sup> castigari prohibitum est. Verum si *injuriam*<sup>7</sup> te fecisse proconsul vir clarissimus pronuntiaverit, ignominia notatus es. — P. P. kal. Jul. SATURNINO et GALLO CONSS. 199.

6. *Idem*, AA. Justo.

Ad tempus in opus publicum damnati pristinum quidem statum retinent: sed damno infamiae post impletum tempus subjiciuntur. — P. P. 7 id. decemb. GETA et PLAUTIANO CONSS. 204.

7. *Idem*, AA. Demetrio.

Nemo ob id quod bonis paternis se abstulit, infamis est. — P. P. 8 id. Januar. ANTONINO A. et GETA 2 utrisque CONSS. 206.

8. *Idem*, AA. Ulpiae.

Si furti condemnata es, citra verbera quoque fustium, infamiae damnum subijsti<sup>8</sup>. Quod si res furtiva, quam alter surripuit, apud te ignorantem compta est: non laesit existimationem tam durior sententia. — P. P. 10 kal. Mart. ANTONINO A. et GETA utrisque 2 CONSS. 206.

9. *Idem*, AA. Lato.

Neminem sequitur infamia ob defensa publica negotia patriae<sup>9</sup> suae. — P. P. 12 kalend. Mart. ANTONINO A. et GETA utrisque 3 CONSS. 209.

10. *Idem*, AA. Severo.

Injuriarum ex<sup>10</sup> persona quoque<sup>11</sup> servi damnatus, infamia notatur. — P. P. 4 kal. Aug. *iisdem* CONSS. 209.

11. *Imp.* ALEX. A. Herennio.

[Debitores] qui bonis<sup>12</sup> cesserint licet ex ea causa bona eorum venerint, infames non fiunt. — P. P. 10 kalend. Majas, MAXIMO 2 et AELIANO CONSS. 224.

12. *Idem*, A. Donato.

Si te expilasse hereditatem, sententia praesidis constiterit, non ex eo quod non et alia poena tibi irrogata est, furti<sup>13</sup> improbius infamiam evitasti. — P. P. kalend. Jul. JULIANO 2 et CAESARINO CONSS. 225.

TIT. XII. — 1. Lib. 3. D. 2. Lib. 10. infr. tit. 57. — 2. L. 11. pr. *Juneta* L. 31. D. de panis. — 3. L. 38. vers. in delictis, D. de minor. — L. 2. D. de termino moto. — 4. L. 15. § 1. D. ad leg. Corn. de fals. — L. 15. pr. D. ad musicip. — L. 5. § 1. D. de decur. — 5. L. 4. § 1. D. de milit. — 6. L. 2. § 1. D. de decur. *adde* L. ult. D. eod. — L. 9. § 11. § 12. D. de leg. 3. L. 9. L. 12. infr. de panis. L. ult. infr. de quaestio. — 7. L. 1. L. 4. in fin. D. h. t. — L. 7. D. de jud. publ. § 2. Inst. de pan. tem. litig. — 8. Dietae leges *adde* L. 63. D. de furtis. — 9. L. 2. pr. D. de iure fisci. — L. 4. infr. de delatorib. — 10. *Adde* L. 5. supr. h. t. — 11. *Immo vide* § 5. Inst. de injuriis. — 12. L. ult. infr. qui bonis cedere. — 13. L. 1. § 1. D. de effractorib.